

RECTOR & PROFESSORES P.
ILLUSTRIS SCHOLÆ BREMENSIS,
indicant Exsequias
VIRI

Prenobilissimi, Amplissimi, Consultissimi

DETHARDI DÜSING

J. V. D. & Patriæ Senatoris Senioris

Nati Bremæ Anno MDCLXXVIII. d. 27. Jul. denati ibidem A. MDCCLVI. d. 23. Junii.

Æt. LXXVII. A. M. X. D. XXVII.

BREMÆ,

Typis Viduæ B. H. C. Jani, quondam Illustr. Gymnasii Typographi,

A. MDCCLVI.



RECTOR & PROFESSORES P.
ILLUSTRISSIMO SCHOLAE BREMENENSIS
indicant Excerptas

VIRI



Satietas dierum, sive ut a Romanorum dicta est Philosophis *Vita*, in Sacris Oraculis, inter beneficia Dei praecipua, quibus humana explet desideria, numeratur. Non nisi de piis grandaevis, illam praedicatam deprehendimus, deque illis, qui in vita sua, ex rebus benegestis, famam sunt indepti, de Abrahamo, Isaac, Davide, Jojada Pontifice atque Jobo (a). Ad gratiae divinae ingentem modulum, quo durante hac vita refecti atque ad omne virtutis exercitium excitati & idonei redditi fuerunt, respici, non pauci existimant, verentes ne satietatis notio, aliquid fastidii vitae secum ferre videatur, quae longe abest a piis, consilio Dei, juxta ejus stabile decretum, servientibus, quantumvis in Philosophos e Stoa, cadere potuerit. Verum cum dictio neutiquam sit pro elliptica habenda, & supplenda, abeatque a forma, saturatus gratia in diebus, sed potius ipsos dies illorumque numerum, satietatis causam appellet, saturumque sanum sine nausea, cum haec sit morbi species, concipere liceat, ex ipsis diebus & eventibus, quos secum vehunt, satietas & quidem abundans, sine ullo vitio morositatis aut tædii potest exoriri. Satur est is, qui plura non appetit, animoque contento proficitur, quod sufficiat, id quo est fructus, id quod est expertus, quodque desideraverat ad explendam indigentiam, imo & vota. Cupimus vivere, innata nobis est illa concupiscentia, sicut fastidium mortis, hinc desideria vergentia ad aetatem, etiam senilem. Dum illa hebetescunt, incipit exsatiatio, cujus sensus ex causis justis etiam pios afficere potest. Imminuitur illa ad longiorem vitam cupiditas, variis ex causis, quarum plures simul possunt solentque concurrere. Divina benignitate recreatus & gratia suffultus, sciens meliores sedes atque mansiones esse paratas a supremo nostrae salutis authore, ad illas anhelans, inprimis dum novit, quam fluxa caduca & inania terrena sint, satur est dierum, nec multos expetit aut optat, cum aliquando inevitabilis hora certo certius ipsum expectet. Spes meliorum facile parit satietatem viliorum. Accedit si in senectute, quae ipsa perpetuus est morbus, cum viribus, sensuum acies deficiat, gravedo torporque artus & corpus occupet atque ad labores reddat ineptum, tunc his incommodis pressus, satur aequae est dierum, ac operarius horarum quas operis impendit. Si quoque conscientia de benegestis, tempore aetatis juvenilis atque virilis, mentem reddat laetam, in virium inopia, appetentia quietis, quae certe est satietas vitae, desideria ad

(a) Gen. XXV, 18. XXXV, 29. 1. Par. XXIV, 1. 2. Par. XXIV, 15. Job. XLII, 17.

ad subeundam vicissitudinem beatam, non magis quisquam jure taxabit, ac
 Jacobi patriarchæ testimonium de annis suæ peregrinationis paucis, iisdem-
 que malis. Et quos non pro ratione naturæ nostræ effectus habet, experien-
 tia bonorum æque ac malorum, qui tali sumus præditi indole, ut novorum
 cupidi, solitorum & eorum quibus assuefacti sumus, vilipendio atque tædio,
 quantum antea illa appetiveramus, capiamur facile atque hinc ad vicissitu-
 dines & mutationes, in instabili hoc orbe atque rerum statu optandas feramur;
 unde ipsum senium, corpore licet adhuc sic satis vegeto, quo nihil deside-
 ratur ardentius, sed dum adest & ingravescit fit molestissimum, satiatque illos,
 qui istius sui voti damnati sunt. Apprime CATO (b) postquam diversa-
 rum ætatum studia enarraverat, ait *omnino rerum omnium satietas, vite fa-
 cit satietatem; ut superiorum ætatum studia occidunt, sic occidunt etiam senectutis;*
*Quod cum evenit, satietas vite, tempus maturum mortis assert - - Equidem pro-
 ficiscentem me ad eos, qui pridem excesserunt, quos ego colui & dilexi, quin
 etiam ad illos, de quibus audivi, & legi, & ipse conscripsi, haud sane facile re-
 traxerit, nec tanquam Peliam recoxerit. Quod si quis Deus mihi largiatur, ut
 ex hac ætate repuerascam & in cunis vagiam, valde recusem.* Dirigente atque
 moderante religione cum sensationibus cupiditates, ipsa dierum satietas, non
 ex vitiorum solum numero est eximenda, sed potius spectanda tanquam be-
 nigne intentus a supremo Numine finis, ad leniendos dolores horroresque,
 quos natura mortem aversans, patitur. Vitæ satur, vitæ finem attigit Vir æta-
 te & meritis, gravissimus cujus honori & meritis hanc tabulam suspendimus.
 Natus is erat ex clarissima Gente, *Parente Viro Nobilissimo & Amplissimo*
DIDERICO DUSING Magnario florentissimo & Senatore, *Matre Matrona*
Præstantissima **CATHARINA KOEPER**; *Avo GERHARDO* Negotiatore
 & Senatore Amplissimo, *Avia T. T. ELISABETHA*, *nata Viri Maxime*
 Reverendi atque Clarissimi **HENRICI ISSELBURGII** S. Th. D. ejusque in
 Illustri Schola Professoris P. O. cœtus Mariani Pastoris Primarii, ad Syno-
 dum Dordracenam hinc delegati, atque **T. T. LUCIÆ STUNING**. *Proavo*
DIDERICO Magnario, *Proavia GESA* von LINE. In materno vero stem-
 mate, *Avo T. T. DETHARDO KOEPER* Magnario florentissimo, primum
 Laudabili Collegio Seniorum, dein Amplissimi Senatus adscripto, *Avia*
T. T. ANNA BAKEN *filia* Amplissimi Senatoris **VASMARI BAKE** & **T. T.**
ADELHEIDIS MEIER; *Proavo OTTONE KOEPER*, membro itidem Se-
 natus, *Proavia T. T. CATHARINA* von ESSEN. His majorum cereis
 & exemplis, ad præclarâ quævis excitatus, postquam emensis inferiorum
 classium curriculum, A. 1695. inter Ill. Gymnasii cives esset receptus, ex cla-
 rissimis, illud tunc ornantibus, professoribus *Sagittario, Tabingio, Tilingio,*
Alb. Meiero & Job. Eberhardo Schwelungio, in humanioribus, Eloquentia &
 Philosophia, sub postremo quoque ut & *Job. von Rbeden* in jurisprudentia,
 atque manucente civitatis Architecto *Herm. Bruggeman*, in Mathefi, fe-
 liciter profecit, hujusque rei specimen exhibuit, habita A. 1697. oratio-
 ne, *de natura balenarum earumque captura*, attendens nempe jam mature, ad
 fontes rerum, quæ in publica commoda ducunt, dum istorum monstrorum
 piscatio, tunc heic & alibi incipiebat exerceri. Abiens ad externos, ivit
 primo salutatum Musas *Marpurgenses*, pendens ab ore *Zaunschlifferorum &*
Keinschmidiorum, dein *Trajectinas* auscultans in elegantioribus magno *Gre-
 vio*, in jure vero *Cell. van Muyden & Corn. von Eck*, denique *Viadrinas* ve-
 nerans Doctores Illustrem *Henr. Coccejum & Marcum Rhode*, ubi & doctora-
 li laurea, defensa dissertatione inaugurali *de vero rerum pretio* A. 1701. d. 24.
 Junii, cinctus est. Quo juris scientiam poliret experientia & prudentia, pe-
 regrinatione acquirenda, illas, quoniam ab itinere per Galliam impediaba-
 tur, ob bellum quod tunc exarserat, per Germaniam instituit, visisque au-
 lis Electorum & Principum, tum & eis, quæ in supremis Dicasteriis Vien-
 næ & Wetslariæ atque in comitiis Ratisbonæ, geruntur negotiis, facta ex-
 cursione in Hungariam, per Bohemiam in Patriam rediit, atque se praxi
 Juris, quo civibus prodesse studiorum ejus fructus, dicavit. Sacrum con-
 nubii fœdus contraxit A. 1702. d. 19. Decembr. cum Virgine lectissima
ADELHEIDE von dem **BUSCH**, *filia* Viri Nobilissimi atque Experientissi-
 mi **HENRICI** von dem **BUSCH** M. D. Polyatri felicissimi & Reipublicæ Phy-
 sici, atque **T. T. METTÆ KOEPER**, quod durans ex benignitate divina
 usque ad 19. Junii A. 1745. quam plurimis beneficiis, insignite duodena pro-
 le, & pluribus ex ea natis nepotibus, beatum fuit.

(b) apud CICERONEM de senectute. Segm. 19 & 23.

I. Primogenita DIDERICUS in infantia, decessit.

II. Vir Nobilissimus Consultissimus & Clarissimus DIDERICUS DÜSING, J. U. D. Ejus & Historiarum Prof. P. O. sui ordinis senior, collega noster honoratissimus, ex cujus cum Matrona Spectabili, ENGELINA POST, Viri Nobilissimi Consultissimi & Amplissimi HERMANNI POST J. V. D. & Reipublicæ Archivarii Senioris filia, connubio, natus est nepos DETHARDUS, qui tamen maturime rebus humanis est exsolutus.

III. Vir Nobilissimus & Consultissimus HENRICUS J. U. D. & causarum in foro patronus, qui ducta uxore T. T. GESA CATHARINA MEIER, jam A. 1739. d. 28. Octobris e vita evocata, filia Viri Maxime Reverendi, Doctissimi atque Clarissimi JACOBI MEIER S. Th. D. & LL. Orr. Prof. P. atque ad D. Ansgarii Pastoris Primarii, post se reliquit, cum rebus mortalibus A. 1753. d. 1. Aug. eriperetur, Ornatisimam superstitem Virginem ADELHEIDEM.

IV. Vir plurimum Reverendus atque Doctissimus DETHARDUS, Pastor ad D. Pauli in nova, ut dicitur, urbe, facundissimus. Is, morte soluto A. 1741. d. 29. Julii priore connubio, cum Virgine eximia MARGARETHA SCHACHT, T. T. CHRISTIANI SCHACHT, Magnarii & spectabili collegio Seniorum adscripti, nata, ad altera transiit vota cum Virgine præstantissima GEBECCA MEIER, filia Viri Nobilissimi & Consultissimi CASPARI MEIER J. U. D. & Advocati celeberrimi, atque pie defunctum, nativitate trium nepotum exhilaravit, MAGARETHÆ, quæ in ætate tenera extincta est, DETHARDI tertiæ clasfis discipuli & CATHARINÆ MARGARETHÆ, superstitem.

V. Matrona Spectabilis dum superabat A. 1755. d. 16. Jan. METTA, quæ nupsit Viro Nobilissimo Consultissimo & Amplissimo GERHARDO von ASCHEN J. U. D. & Reipublicæ Senatori, ex qua nati nepotes, Juvenis Præstantissimus HENRICUS Juris studium Marpurgi colens, ADELHEIDIS in infantia mortua, DETHARDUS primæ & GERHARDUS secundæ Clasfis discipuli, præclara minantes.

VI. Vir Nobilissimus & Consultissimus THEODORUS, civitati a Secretis fato jam A. 1744. d. 21. Aug. functus.

VII. JOHANNES, mercaturam tractat.

VIII. & IX. Utraque CATHARINA, prior anno ætatis primo, altera tertio, fatis cesserunt.

X. Matrona Spectatissima ADELHEIDIS, ab Ao. 1753. d. 30. Junii vidua, post obitum mariti, Viri Summe Reverendi, Doctissimi atque Celeberrimi CONRADI JKEN S. Th. D. & Prof. P. Jll. Gymn. Rectoris alternis annis, ad D. Stephani Pastoris Primarii, Societatum, Regiæ Berolinensis scientiarum & Latinæ Jenensis sodalis honorarii, ex quo connubio natus adolescens, in lætam spem excrescens DETHARDUS, primæ Clasfis alumnus.

XI. MARGARETHA, quæ præproperum invenit fatum &

XII. Matrona Pereximia ANNA, conjunx Viri Nobilissimi atque Consultissimi HENRICI von DEM BUSCH J. V. D. & causarum Patroni.

Læta atque prospera fata, quotquot ex tam numerosa prole possunt solentve exoriri, cum maxime si rebus agendis admoveatur, in muneribus conspicuis, aucta sunt, ex dignitate Senatoria, qua ornatus est A. 1720. d. 15. Junii, præfecturisque quibus præfuit, rei militaris, armamentarii aliisque ut & ex laude, quam illas gerendo, retulit; imminuta tamen adversis ex tot mortibus propinquorum, acerbe sane accidentibus. Vera eruditione in bonarum litterarum studiis & juris scientia, cultu frequenti publico æque ac privato Numinis, dum ætas & valetudo permitterent, tenaci labore, meritis de Patria, tum domi, tum in legationibus ad Principum aulas, rei profuit publicæ atque inclaruit, usque quo fatietatem dierum ex fatietate rerum mundanarum expertus, die 23. labentis, exsolveretur, qui valetudine corporis gavisus fuerat firmissima & parum nisi ex erysipelate, usque ad senectam concussa, in qua, humoribus in acrorem scorbuticum pedetentim degenerantibus, & sanguine crassiore in capite stagnante, vivacitate imminuta, symptomata apoplectica, dudum reverita, elapsa mercurii, cum post coenam, cubitum ire constituerat, illum tam fortiter incesserunt, ut viribus omnimodo & ocysime collapsis, intra horulæ spatium, spiritum, placide tamen, creatori redderet. Exuvie hodie sub horam Primam condentur in templo Ansgariano. Utamur Lector diebus nostris, ut sive illorum fatietatem experiamur, sive non, fato nempe senectam præveniente, temporis, cujus avaritia sola honesta est, rationem reddere possimus. Vale Pos. d. 28. Junii, A. MDCCLVI.